



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

3. Qualiter in Oratorio Iohannis Baptisæ per visionem Iesvm Christvm viderit, & ei peccata sua confessus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650

fentit, ut fuit: quia illud esse mihi videbatur, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ex hac itaque visione, quam sicut ipse dictauerat verbis illius enarrauimus, præfatus Seruus Dei & perterritus & consolatus cœpit se sollicitius in diuino exercere timore, bonisque operibus de die in diem ardentius in hære, spemque de Dei misericordia præsumere, quòd quadam ipse disponderet occasione, ut ad palmam Martyrij posset pertingere. Quod tamen quia corporaliter gladio imminente non contigit, qualiter in mortificatione crucis quam iugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portauit, Deo miserante completum sit, cum de obitu illius narrare cœperimus, iauis explicabimus.

CAPVT III.

Qualiter in Oratorio Iohannis Bapt. per visionem IESVM CHRISTVM viderit, & ei peccata sua confessus sit.

Post hæc verò cum Magister fuisset Scholæ ad Sanctum Petrum, eundo vel redeundo ad claustrum consuetudinem sibi fecerat, in Oratorio Beati Iohannis Baptista: precibus secretius insistere. Itaque post duos annos superioris visionis quadam nocte visum *Visio S. Ansgarij tertia.* est ei, quod ad idem Oratorium causâ orandi diuertisset. Cumque ab oratione surrexisset, ecce vir per ostium veniebat, staturâ proce-
rus, iu-

rus Iudaïco more vestitus, vultu decorus; ex cuius oculis splendor diuinitatis, velut flamma ignis radiabat. Quem intuitus omnium cunctatione postpositâ CHRISTVM Dominum esse credebat, atque procurrens ad pedes eius corruit. Cumque prostratus in facie iaceret ille vt surgeret imperauit. Cumque surgens coram illo reuerenter astaret, atque præ nimio splendore ex oculis ipsius emicante in faciem eius intendere non valeret, blandâ voce ipsum allocutus est, dicens: Dic, ait, iniquitates tuas, vt iustificeris. Cui Seruus Dei respondit: Domine, quid necesse est tibi dicere, tu omnia nosti, & nihil te latet. Ille autem subsecutus ait: Scio quidem omnia, sed ideò volo vt confiteantur mihi homines peccata sua, vt remissionem accipiant. Cui cum omnia quæ ab infantiâ gesserat indicâset, & illo posthæc in orationem prostrato ipse erectus astaret, dixit: Noli timere, quia Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Post quam vocem ille qui apparuerat recessit. Et vir Dei excitatus somno de fiduciâ remissionis peccatorum suorum confortatus immenso tripudiabat gaudio.

*Confessio
peccatorum.*

CAPVT IV.

Quomodo animam discipuli Fulberti ad cælum deferri, & inter Martyres collocari cognouerit.

Quo etiam tempore contigit, quod Vestrae